

circulus compleatur, ita ut iuniores sint Cruci viciniore, seniores prope Celebrantem, et spatium maneat, ut Celebrans cum Diacono libere tumulum circumire possint. Celebrans cum Diacono manent ad caput tumuli, parum ad latus Epistolae, facie aliquantulum versa ad Crucem. Hinc Celebrans aut Cantor intonat, et caeteri alternatim prosequuntur

RESPONSORIUM.

I. Chorus. *Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: Quando coeli movendi sunt et terra: * Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.*

I. Chor. *Quando coeli movendi sunt et terra: * dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae: dies magna et amara valde.*

I. Chor. *Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.*

Repetitur Responsorium: *Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: * Quando coeli movendi sunt et terra: * Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

Ad *Requiem* Thuriferarius accedit ad Celebrantem, qui, dum repetitur Responsorium, ponit incensum in thuribulo. Deinde Chorus cantat more solito: *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.*

Celebrans: *Pater noster*, secreto.

Sub *Pater noster* aspergit et incensat tumulum, circumiens ut n. 1514; hinc dicit:

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem, etc. ut supra.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R). Amen.

Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine:

R). Et lux perpetua luceat eis.

Ÿ. Requiescant in pace:

R). Amen.

Quibus persolutis, Fratres redeunt nihil dicentes ad Sacristiam, et cessat pulsus campanae.

PARS SEXTA

De sacris functionibus extraordinariis in Ordine nostro occurrentibus.

CAPUT I.

DE ADMISSIONE ET RECEPTIONE AD ORDINEM NOSTRUM.

§ I. — *De ritu admittendi ad habitum.*

1525. Candidatus a Ministro Provinciali, servatis servandis, ad Ordinem admissus, prius quam ad habitum admittatur, per aliquot dies exercitiis spiritualibus et piis orationibus vacet sub directione Magistri Novitiorum, Confessione generali peccata vitae praeteritae luat, S. Communionem in die vestitionis sumat, et sic ad sumptionem habitus sese praeparet.

1526. Die vestitionis, post Missam conventualem vel post Vesperas, Superior aut alius Pater ad hoc deputatus, superpelliceo et Stola coloris albi indutus, praecedentibus duobus Acolythis cottis indutis, progreditur ad Altare maius, et, genuflexione facta SS^mo Sacramento, ad suppedaneum ascendit et in medio osculatur Altare, iuvene in inferiori gradu flexis genibus existente, caeterisque Fratribus ipsum quasi in gyro aut

ex utroque latere Presbyterii circumstantibus, Acolythis vero prope credentiam.

1527. Facie conversa ad Altare, clara voce, sine cantu dicit¹:

Ÿ. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

Et subiungit deinde sequentes Orationes:

OREMUS.

Deus, qui a saeculi vanitate conversos ad bravium supernae vocationis accendis; et qui renuntiantibus saeculo mansiones paras in coelis: dilata cor huius famuli tui (corda horum famulorum tuorum) coelestibus donis: ut fraterna nobiscum teneatur (teneantur) compagine charitatis unanimis, constans, sobrius, simplex, quietus (unanimes, constantes, sobrii, simplices, quieti); regularia sanctorum Patrum instituta custodiat (custodiant), et ad eum, quem te inspirante perfectionis spiritum concepit (conceperunt), te adiuvante perveniat (perveniant). Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, dux, salus et fortitudo nostra, humiliter petimus, ut famulum tuum, quem (famulos tuos, quos) sanctae compunctionis ardore ab huius saeculi vanitate separasti, etiam a conversatione terrena discernas, et gratiam qua in te perseveret (perseverent), infundas; ut protectionis tuae praesidio munitus (muniti), quod te donante affectat (affectant), te adiutore

¹ Si plures vestiendi sunt iuvenes, omnia, quae eos respiciunt, dicantur in numero plurali.

compleat (compleant): ut suae conversionis executor effectus (executores effecti), ad ea quae perseverantibus in te promittere dignatus es, feliciter pertingat (pertingant). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R). Amen.

1528. Deinde Sacerdos ad cornu Epistolae procedit, et ibi stans benedicit vestimenta super aliquam mensam posita modo sequenti:

AD HABITUM.

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Domini:

R). Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Sit nomen Domini benedictum:

R). Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam:

R). Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium, abrenuntiantes huic saeculo ferre sanxerunt; ita benedicere et sanctificare digneris, ut hic famulus tuus, qui (hi famuli tui, qui) sanctae Religionis habitum piae devotionis affectu assumere intendit (intendunt), te intus veraciter induere mereatur (mereantur): Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R). Amen.

AD CHORDAM SEU CINGULUM.

OREMUS.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti; benedic, quaesumus, cingulum istud (cingula ista), et praesta: ut famulus tuus (famuli tui), qui eo velut ligamine poenitentiali sui corporis cingetur (corporum suorum cingentur), vinculo- rum eiusdem Domini nostri Iesu Christi perpetuo me- mor existat (memores existant): et in Ordine, quem as- sumit (assumunt), perenniter perseveret (perseverent), tuisque cum effectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat (alligatos esse cognoscant). Per eundem Chri- stum Dominum nostrum. R). Amen.

1529. Completis Orationibus, Sacerdos accipit de manu primi Acolythy aspersionem, et ter Candidatum, terque i. e. in medio, a dextris et a sinistris aspergit vestimenta, proferens, sed sine Psalmo, Antiphonam: *Asperges me Domine etc.*

1530. Restituto aspersione Ministro, Sacerdos ad Altaris medium redit; ad Candidatum, stantem aliquantulum in cornu Epistolae, se convertit: et ab utroque Acolythro adiutus, exiit illum superioribus vestibus saecularibus, voce intelligibili dicens:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. R). Amen.

1531. Deinde, adiutus ut supra, iuvenem vestimentis Religionis induit, dicens:

AD HABITUM.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, et sanctitate veritatis. R). Amen.

Et statim, dum iuveni habitus aptatur, subiungit:

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Iugum meum suave est, et onus meum leve; praesta quaesumus, ut hic famulus tuus sic istud deportare valeat, ut possit consequi tuam gratiam in praesenti, et gloriam in futuro. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R). Amen.

AD CAPUTIUM.

Pone, Domine, caputium salutis in capite eius ad expugnandas diabolicas fraudes. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

AD CINGULUM.

Praecingat te Dominus cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis: ut maneat in te virtus continentiae et castitatis. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

1532. Deinde porrigit ei candelam accensam, dicens:

Accipe, Frater charissime, lumen Christi, in signum immortalitatis tuae; ut mortuus mundo, Deo vivas. Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. R). Amen.

1533. Tunica interiori Candidatus non induitur, neque Breviarium, Regula, rosarium, disciplina, neque quid aliud praeter nominata, in Ecclesia seu in actu vestitionis ipsi traditur, iuxta antiquam Ordinis nostri

nostri consuetudinem. Quidquid ergo hisce contrarium est, omnino tollendum.

1534. Novitius sic indutus, candelam accensam in manu tenens, iterum ut primum genuflectit; Sacerdos vero ad Altare conversus alta voce dicit:

Ÿ. *Salvum fac servum tuum (Salvos fac servos tuos):*

R). *Deus meus, sperantem (sperantes) in te.*

Ÿ. *Mitte ei (eis), Domine, auxilium de Sancto:*

R). *Et de Sion tuere eum (eos).*

Ÿ. *Nihil proficiat inimicus in eo (eis).*

R). *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei (eis).*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

R). *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Maiestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus: ut famulum tuum, cui (famulos tuos, quibus) de tua gratia praesumentes nostrae Religionis habitum imposuimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, iustitiae lorica munire, et salutis protegere vestimento, ut, intercedente beato Francisco Confessore tuo, sub humilitatis veste tibi perseveranter deserviens (deservientes), ad stolam immortalitatis et gloriae pervenire mereatur (mereantur). Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

OREMUS.

Deus, qui mira Crucis mysteria in beato Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti: da huic famulo tuo (his famulis tuis), eius piae devotionis semper

exempla sectari, et assidua eiusdem Crucis meditatione muniri. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

1535. Quibus dictis, Sacerdos descendit et cum Ministris in ora infimi gradus Altaris genuflexus, intonat, Choro prosequente,

HYMNUM:

Veni, Creator Spiritus,

Mentes tuorum visita,

Imple superna gratia,

Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,

Altissimi donum Dei,

Fons vivus, ignis, charitas,

Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,

Digitus paternae dexteræ,

Tu rite promissum Patris,

Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,

Infunde amorem cordibus,

Infirma nostri corporis

Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,

Pacemque dones protinus:

Ductore sic te praevio,

Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,

Noscamus atque Filium:

Teque utriusque Spiritum

Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.
(Tempore paschali dicitur:)

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

1536. Dicta prima stropha, assurgunt omnes, factoque initio a dignioribus, bini accedunt ad latus Novitii, Altari genuflectunt et eidem Novitio unus post alterum pacis osculum dant, prout in Missa, dicendo: *Pax tibi, frater*, quibus ille nihil respondit.

1537. Dato osculo pacis, repetita Altari genuflectione, singuli ad suum locum revertuntur: et Novitius iterum in infimo gradu Altaris genuflectit.

1538. Finito Hymno, Sacerdos subiungit voce alta:
 ¶ *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis:*
 R). *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*
 ¶ *Post partum, Virgo, inviolata permansisti:*
 R). *Dei Genitrix, intercede pro nobis.*
 ¶ *Ora pro nobis, beate Pater noster Francisce:*
 R). *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*
 ¶ *Domine, exaudi orationem meam:*
 R). *Et clamor meus ad te veniat.*
 ¶ *Dominus vobiscum:*
 R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R). Amen.

¶ *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

¶ *Benedicamus Domino:*

R). *Deo gratias.*

1539. Postea benedicit Novitio et adstantibus, prout sub fine Missae, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus. R). Amen.

1540. Demum Novitio nomen alicuius Sancti imponit, et stans in cornu Evangelii brevem (si placet) facit sermonem actioni congruentem; quo finito omnes discedunt. Magister vestitionem in libro notet.